



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Bertulphus Conf. 5. Februarii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

S. BERTULPHUS CONF.

5.Februarii.

DILO BERTVLPHO vitam dedit Germania, Gal-
lia fidem sanam. Hâc & juventæ omnibus or-
namentis cultissimus adolescens facile in Comitis
VVamberti amicitiam, tum deinde familiam, de-
nique filium est cooptatus. Mox cum omnia
tunus administraret, quod rem familiarem auge-
ret, non pauca iis, qui cum fœnore olim redde-
rent, miseris dedit. Et profecto quod plura in hos
dispensabat foris, hoc amplius domi opes cresce-
bant. Neque id Herum Comitem piissimum late-
bat. sed tamen aures hujus obsidebant obrecta-
tores, qui etiam hodie in aulis, quidquid acce-
dere pauperibus vident, sibi putant decedere.
Et forte foras prodire ad Nummularios suos
BERTVLPHVS properabat vino & pane oneratus,
cum obvius rogit Herus quid rerum gerat? Aquam,
ait ille, & ligna; simul (Superis piam fraudem ju-
vantibus) pallio revoluto aquam monstrat &
ligna. Alio item ostento virtutem BERTVLPHI
Devs prodidit. Româ, quod religionis causâ cum
conuge iverat, reducem Comitem exceperat,
utque sua famulis fatigatis à viâ quies esset, ipse
ad pascua equos egerat, custos id noctis futurus.
Verum cum ingentes cælo imbræ ruerent, missus
qui BERTVLPHVM domum revocaret puer primò,
ipse deinde VVambertus evocatus ad miraculum
spectavit miræ magnitudinis aquilam supra ca-
put BERTVLPHI pendere, & aquas arcere, ponè
verò à cælo luctulentam facem ministrari, ad
quam otiosus ille scilicet librum nescio quem

D 3

legebatur.

legebat. Atque ad hoc denique lumen perspicere
viri virtutem sese etiam invidia fassa est. Ex Surio.

*Premittamus thesauros nostros in Cælum; sint vecto-
res pauperes, qui possunt sinu suo, que nostra sunt, ad
superna portare. Nemo de fraude dubitet bajulorum;
tuta est ista transvectio, per quam nostra ad Deum, Des-
fidejussore, portantur.* S.Pet.Chrys.sermon.7.

S. GELASIUS CONF. 5. Februarii.

GELASIVM habes,, sed. unà OPILIVM fratrem,
pietate ita germanos, ut ex eodem ovo pro-
gnatos dicere posses, si non utrumque per nos li-
ceret spectare. Utrumque igitur Placentia genuit,
utrumque extulit, hodieque etiam velut lucidissi-
mum cæli sidus , & morbidis propitium suspicit.
Et OPILIVM in cælo lucere quid mirum, quando
in cælum inter preces oculo , animo abire, imò
cùm lucem oculorum mors extinxit, radiare ta-
men visus est? Jam innocentiae & reliquarum vir-
tutum choro dum vixit , vitæ austerioritate velut
munimento quodam cavit. Itaque totos dies je-
junus agere, cœnamque à matre submissam roga-
toribus in ponte præbere, ipse satis sacrarum lite-
tarum lectione pastus cælique delitiis ebrius. Pari
passu cum OPILIO GELASIVS incessit , in omni-
bus fratri cedens præterquam virtutis palæstrâ ,
nihil invidens quam vitæ sanctimoniam. Sed ju-
verit nosse, quibus artibus invidiam hanc in ocu-
lis GELASII cælum accenderit. OPILIVM solùm
inter preces agere putabat : sed. cubiculum ingressus
socios illi assistere innumeros Angelos vidit,
mox Christi vocem illam audivit : *Sinite parvulos
venire ad me , talium est regnum cælorum.* Hoc in-
quam spectaculum, hæc verba animū sauciarunt;

hæc